**Viro illustri medicinæ homoeopathicæ auctori S. Hahnemanno ... faustum illum diem qua ante hos quinquaginta annos Erlangæ summis in medicina et chirurgia honoribus rite ornatus est, amici et medici methodo homoeopathicæ addicti pie laete congratulantur ... Inest dissertatio de indole et fatis artis homœopathice medendi, simul vita inventoris breviter enarratur.**

**Contributors**

Hahnemann, Samuel Christian Friedrich, 1755-1843.
St. Thomas's Hospital. Medical School. Library
King's College London

**Publication/Creation**

Merseburgi : Literis Francisci Kobitzschii, 1829.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/dk4tqkbz

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by King's College London. The original may be consulted at King's College London. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

pQ1.

Homœopathy

1829

KING'S
College
LONDON

TOMMS
PAMPH. BOX RX68 MAH
Library
HAHNEMANN SAMUEL
METHODO HOMEOPATHICAE
ADDRCTE 1829

201094960 1
KING'S COLLEGE LONDON

p. Q. 1.

VIRO ILLUSTRI

MEDICINAE HOMOEOPATHICAE AUCTORI

# SAMUELI HAHNEMANNO

MEDICINAE DOCTORI DUCI ANHALTINO-COTHANO A CONSILIIS AULICIS NONNULLARUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI

# FAUSTUM ILLUM DIEM

QUO

ANTE HOS QUINQUAGINTA ANNOS ERLANGAE SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE ORNATUS EST

## AMICI ET MEDICI
## METHODO HOMOEOPATHICAE ADDICTI

PIE LAETE CONGRATULANTUR

DIE X. AUGUSTI MDCCCXXIX.

---

INEST DISSERTATIO DE INDOLE ET FATIS ARTIS HOMOEOPATHICE MEDENDI SIMUL VITA INVENTORIS BREVITER ENARRATUR.

---

MERSEBURGI
LITERIS FRANCISCI KOBITZSCHII.

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b21306102

Si medicinae historiam perlustrantibus jam mirari licet, quot fuerint ab Hippocratis temporibus ad nostram usque aetatem *medendi rationes*, magis etiam movemur numero *systematum*, quibus sanationis et naturae leges medici et philosophi eruere studuerunt; id quod ut assidui medicorum studii in excolenda sua arte positi documentum exhibet, ita miro illo, quo agitantur, dissensu veram medicinam per tot saecula nondum inventam esse edocet. Quo factum est, ut plurimae methodi, longe lateque celebratae, tamen vix natae obliterarentur; nam ne una quidem ex omnibus, quae inventae sunt, iis, qui diligenter atque strenue veritatem quaerunt, satisfacit; siquidem omnes ab imagine perfectae medicinae animo informata longe abhorrent.

Ab Hahnemanno illustri primo demum *nova medicinae periodus* oritur. Neque enim satis fuit, ut vir sagax omnia



LLEGE

medicinae praecepta, ab antiquis et recentioribus tradita, strenuae censurae subjiceret, quod etiam alii interdum tentaverunt; meliorem etiam artis medendi rationem loco rejectae idem proposuit. Sic *homoeopathia*, plane nova, ab omnibus prioribus systematibus diversissima orta est, quam perpauci antea suspicati sunt, nemo cogitando perspicue persecutus est.

Nunquam profecto praecepta artis medicae simpliciora, magisque cum naturae legibus congrua tradita sunt, quam ab Hahnemanno; nunquam morbis sanandis plus profecerunt aliae methodi, quam homoeopathica; nunquam a more consueto longius alia discrepuit, magisque opinionibus et erroribus repugnavit, quam *homoeopathia*. Quid ergo mirum, quod non statim eodem assensu gavisa est, quem aliae methodi statim a principio habuerunt? quid mirum, quod non statim oculos omnium in se convertit neque plurimos amicos habuit, sed neglecta, et a paucis modo pluris aestimata et exculta est? Quo justius, eo acrius repugnabat iis, quae recepta et usitata vulgo in deliciis erant. At omnia contra systemata oblivioni data sunt, eo celerius, quo studiosius celebrabantur; nam quod cito oritur, cito perit. Opinionum commenta delet dies, naturae leges stant firmae; aliae fere omnes medendi rationes *opinio-*

*nibus*, sola homoeopathia *experientia* et *naturae legibus* fundata est, et hanc ipsam ob causam non cito celebrata est, sed sensim sensimque augescere coepit, atque eo magis sperare possumus, fore ut omnes adversarii, qui eam partium studio calumniantur invidioseque insectantur, tandem superati quiescant, luce veritatis jam per diversas orbis terrarum regiones in dies clarius splendescente.

Quanta ingenii vi, quanta diligentia et sagacitate praestare necesse est eum, qui tam magna molitus tam assidua aequalium invidia vexatus superior tandem evadit! Quare quum summi cujusque viri indolem vitamque omnes cognoscere optent, quae de eo rescivimus, paucis enarremus, inde a juventute, qua jam ingenio excelluit magnamque de se spem excitavit, exorsi.

Natus est die 10. mensis Aprilis anno 1755 *Misenae*, in oppido regni Saxonici in ea regione sito, cujus amoenitas inde a prima aetate vegetam pueri mentem pulchri sensu imbueret atque exhilararet. Cujus pater, *Christianus Godofredus*, et mater, *Joanna Christiana* e gente *Spiessiana*, magis fere per lusum, quam severius in legendi et scribendi arte conjuncta opera filium instituerunt. Pater, quum nunquam literis vacasset (pictor ille fuit in officina, quae Misenae est, vasorum porcel-

lanicorum et auctor libelli de pictura aquaria) saniores, quas ipse animo finxerat, notiones de eo, quod bonum est, humanaeque dignitati convenit, filii animo instillavit. Symbolum ipsius fuit: *agito, ut sentis; simules, caveto.* Quod re ipsa magis, quam verbis filium docuit. Semper occasione data benignum pauperibus se praebuit; nil humani a se alienum esse censuit; honesti et dedecoris limites subtilissimo judicio discrevit: quod illius exemplum pueri animum natura ad honestatem generatum egregie confirmavit.

Pluribus annis in schola urbana transactis, anno aetatis 12. Samuel Hahnemannus scholam provincialem, quae *Misenae* floret, frequentare coepit. Ibi a *Muellero*, D. ph., rectore, viro probitate atque diligentia insigni, amore singulari dilectus et favorem ejus in concedendo liberiore studiorum suorum arbitrio expertus est, cujus rei etiam hodie grato animo meminit magnumque eam momentum habuisse ad feliciorem deinde in studiis progressum testatur. Mox jussu praeceptoris alios pueros graecae linguae elementa docuit, et praeceptor ille insignis tantam de eo habuit spem, ut, quae in explicandis veterum scriptorum libris contra moneret, comiter audiret, quin ejus sententiam haud raro pro-

priae anteponeret, et Hahnemanno soli, qui ob summam in studiis exercendis assiduitatem parum commoda valetudine utebatur, scholis ipsi non convenientibus supersedere aut alios, quam qui tractabantur, libros legere permitteret. Quovis tempore aditum ad praeceptorem habuit, saepe in aequalium coetu prae aliis laudatus est, neque eo minus, quod mireris, ab omnibus discipulis familiarius amatus. Quae omnia si ad scholarum illarum rationes et consuetudinem, illo praesertim tempore, aestimentur, facile, qualis fuerit adolescens, colligere licet. Sic jam a juventute consuevit suo judicio solo confidere, et quidquid occurreret, strenue examinare. Nam semper id sibi faciendum judicabat, ut non multa legeret, sed quae legisset, concoqueret, et in succum quasi verteret, antequam lectionem persequeretur.

Antequam in schola, quae Misenae est, provinciali ad altiores accederet classes, pater literis eum se dare nolens, scholam relinquere et aliud vitae genus, magis bonorum suorum tenuitati conveniens, eligere filium jusserat; attamen, praeceptoribus monentibus et mercedem omnem per totum, quod adhuc scholastico curriculo restaret, temporis spatium recusantibus, non amplius restitit, neque impediit, quo minus stu-

diis tempus impenderet filius, etsi eum sustentare ipse parum poterat.

Anno 1775 Hahnemannus noster ad altiores disciplinas addiscendas in *academiam Lipsiensem* abiit, oblatis a patre viginti imperialibus, quod amplius daret, non habente. Hic juvenem Graecum, Jassii in Moldavia natum, divitem, linguam Germanicam et Francogallicam docens primo, et postea e lingua Britannica (1) transferendis libris, unde viveret, sibi comparavit. Sic inopia fere omnium, qui artes invenerunt et gentem humanam in altius evexerunt, magistra Hahnemanni quoque ingenium acuit et ad laborem veri indagandi corroboravit; qui flagrante studii amore semper patris praeceptum: »*in discendo atque audiendo cave otiosus sis*,« animo fovit, etsi magis, quam ante, corporis exercitationibus motuque in aëre libero illum vigorem atque robur valetudinis comparandum sibi

(1) Inter alia: *Cp. Nugent's* Versuch über die Wasserscheu; aus dem Englischen. Leipzig 1777. 8. — *J. Stedtmann's* physiologische Versuche und Beobachtungen; aus dem Englischen, mit Kupfern. Leipzig 1777. 8. — *W. Falkoner's* Versuch über die mineralischen Wasser und warmen Bäder; a. d. Englischen. Leipzig. Thl. 1, 2. 1777. 8. — *Ball's* neuere Heilkunst. 2 Bd., a. d. Engl. Leipzig 1777 und 1780. 8.

curabat, sine quo assidui animi labores et contentiones perferri nequaquam possunt. Caeterum Lipsiae quum degeret, judicio suo usus est ita, ut eas tantum scholas frequentaret, quae utiles viderentur, licet omnes medicinae professores, *Boernero,* qui Misenae fuit de re metallica consiliarius, benevole intercedente, gratis eum admitterent; eundem delectum in legendis libris, quibus plurimum operae ac temporis impendebat, habuit. Ita studii fervorem ratione moderatus viam sibi muniit ad futuram ingenii gloriam.

Flagrans medicinae exercendae studio, cui Lipsiae, ubi tunc temporis nosocomium nondum erat, operam dare non poterat, suis impensis *Vindobonam* eundi consilium cepit, sed pecunia carens novem mensibus post et hinc abire coactus est. Monachorum, qui sunt aegrotorum curatores, nosocomio, quod Leopoldini est, vel potius archiatro *a Quarin*, medico ingenii acumine praestanti, medicinae vulgaris exercendae facultatem, quam habet, omnino debet. Cujus viri benevolentiam singularem et amicitiam adeo sibi conciliavit, ut unus solusque aetatis suae esset, cui aegrotos privatim curandos visere permitteret, et qui ab eo ornaretur, amaretur, doceretur ac denique discipulorum esset primus et fere solus.

Pecunia tandem exhausta a praefecto Transsylvaniae, *L. B. a Bruckenthal*, invitatus est, ut apud ipsum *Hermannopoli* versaretur, munerique medici domestici et familiaris atque bibliothecae splendidae praeesset; ubi non modo magnam nummorum antiquorum atque librorum copiam ordine disposuit et tabulis denotavit, sed etiam discendis quibusdam linguis aliisque literis secundariis tempus et operam impendit. Per duos fere annos in oppido illo, cui magna erat frequentia, medendi artem exercuit, usque dum, quamvis perinvitus a populo probo discedens, *Erlangam* petiit, ut summos in medicina honores adipisceretur. Hic *Delio*, qui fuit a consiliis aulicis interioribus, atque ill. ill. *Isenflammio, Wendtio* et *Schrebero*, (2) consiliariis aulicis singularem erga se debet et benevolentiam et institutionem.

Die 10. mensis Augusti anno 1779 dissertationem inauguralem medicam, quae inscripta est: *Conspectus adfectuum spasmodicorum aetiologicus et therapeuticus*, (3) pro gradu doctoris rite et publice defendit.

---

(2) Huic nominatim in discenda scientia herbaria.

(3) Erlangae 1779. 4. pag. 20.

Patriae desiderio incensus eo rediit, et Hettstadium, quod est oppidulum Mansfeldense, habitatum concessit curavitque aegrotos. Paulo post autem Dessaviam abiit, ubi otium suum in chemia (4) tractanda et minoribus itineribus faciendis consumsit, ut quae in mineralogia et re metallica adhuc ignoraret, disceret. Anno 1781 exiguum medici publici munus Gommerniae prope Magdeburgum sibi oblatum suscepit. Quod oppidulum, nulla alia re aeque ac laetitiae domesticae fructu ex matrimonio, quod nuperrime cum *Henrica*, e gente *Kuechleriana*, inierat, jucundum, post biennium novemque menses reliquit et proxime *Dresdam* se contulit, ubi nec amicis caruit nec occasione discendi et artem excolendi. *Wagnerus*, medicus publicus, vir et ipse laude dignissimus et ad omnia laudabilia hortator et adjutor, intima amicitia eum prosecutus, in iis quae ad exercendam medicinam forensem, in qua optime versatus erat, pertinent, Hahnemannum nostrum instituit et omnia, quibus praeerat, nosocomia, quum multum, quanquam levius aegrotaret, assentiente

(4) Quantum etiam in hac arte profecerit, quis est, qui nesciat? Inter plura alia, quae praestitit, *de mercurio solubili*, *de liquore vini probatorio* et *de calcaria sulphurata sicca* mentionem facere sufficiat. Vide etiam notas 6 et 7.

magistratu in unum annum curae ejus tradidit, qua re magnam bene merendi opportunitatem nactus est. Neque minus, cui primaria bibliothecae electoralis cura commissa erat, *Adelungius*, consiliarius aulicus, amore eum amplexatus est, et bibliothecae custodi, *Dassdorfio*, multum commendavit, id quod contulit cum ad vitam ejus suavem reddendam, tum ad eruditionem atque doctrinam augendam.

Hic quum quatuor anni augescente ejus familia praeterlapsi essent, ad literarum fontem propius ut accederet, *Lipsiam* anno 1789 se recepit, ubi anno 1791 societatis oeconomicae Lipsiensis et die 2 mensis Augusti eodem anno literarum academiae electoralis Moguntinae sodalis delectus est. (5) Hoc vitae ejus spatium eo memorabilius est, quod hic primum de methodo *homoeopathice* curandi cogitare coepit. Neque tamen Lipsiae hoc tempore diu commoratus est, sed saepius hic illic consedit, usque dum anno 1811 in hanc urbem rediit, maxime id agens,

(5) Nonnulla ex iis, quae de vita Samuelis Hahnemanni commemoravimus, excerpta sunt ex libro, qui inscriptus est: Nachrichten von dem Leben und Schriften jetzt lebender deutscher Aerzte, Wundärzte, Thierärzte, Apotheker und Naturforscher; herausgegeben von I. K. Ph. Elwert, d. A. D. Hildesheim 1799. Pag. 195—215.

ut scholas academicas aperiret et novam medicinae doctrinam tironibus traderet. Quam ob rem dissertationem de *Hellebo-rismo veterum*, opus et doctrina et ingenio excellens elaboravit et publice defendit.

Hic methodum suam ut magis magisque excoleret et observata a se cum discipulis communicaret indefessus curavit; sed tandem, perpetuis adversariorum vexationibus fessus, anno 1820 Lipsia abiit et a *Ferdinando*, *Serenissimo Duce Anhaltino-Cothano*, benigne acceptus ejusque archiater delectus est, ubi adhuc amicis, aegrotis et arti suae excolendae vitam impendit.

---

Videamus nunc, quid *peculiare ad medicinam emendandam* Hahnemannus effecerit. —

Jam a puero vero, propria indagatione quaerendo, et judicio acriori adsuefactus, et a jurando in verba magistri abhorrens, vir omni rei medicae peritia et doctrinis auxiliaribus instructus atque ornatus et experientia propria adjutus facile intellexit, quid esset vitiosum in medicina. Quod minime in viro experientissimo miramur, aliis medicis melioris notae diu jam similia statuentibus et fatentibus. Sed non, ut alii, in confessione erro-

ris substitit; contra medicinam vulgarem noxiam perspiciens ab illa exercenda plane abhorruit, honestam paupertatem conscientiae malae longe anteponens; et in literarum maximeque chemiae studium incumbens opera medica et alius generis complura Britannorum, Francogallorum et Italorum in vernaculam linguam transferendo (6) et alios libros et dissertationes conscri-

(6) Vide: *Demachy's* Laborant im Grossen, oder: Kunst, die chemischen Producte fabrikmässig zu verfertigen; a. d. Franz. übersetzt und mit Zusätzen versehen. Leipzig bei Crusius. 2 Theile. 1784. — Der Liqueurfabrikant; a. d. Franz. der Herren *Demachy* und *Dubuisson* übers. u. m. Zus. bereichert. Leipzig 1785. 8. — *Demachy's* Kunst des Essigfabrikanten; a. d. Franz. Herausg. u. m. Bem. u. e. Anh. mit 1 Kupf. Leipzig 1787. 8. — Geschichte des *Abelards* u. d. *Heloise*, nach des *d' Amboise* Ausg.; a. d. Engl. d. Hrn. J. Barington. Leipzig 1789. 8. — *M. Ryan's* Untersuchung der Natur und Kur der Lungenschwindsucht, mit einigen Bemerkungen über eine neue Schrift (Reids), ds. Inhalts. Leipzig 1790. 8. — *Ad. Fabbroni's* Kunst, nach vernünftigen Grundsätzen Wein zu verfertigen; a. d. Ital. m. Zus. u. Kupf. Leipzig 1790. 8. — *Joh. Grigg's* Vorsichtsregeln f. d. weibl. Geschlecht, bes. i. d. Schwangerschaft u. d. Kindbette u. s. w.; a. d. Engl. übers. Leipzig 1791. 8. — *Arthur Young's F. R. S.* Annalen des Ackerbaues u. and. nützl. Künste; a. d. Engl. übers. von *Hahnemann*. Leipzig 1790 und 1802. 5 Bd. — *W. Cullen's* Abhandlung über d. mat. med., übers. u. m. Anm. Leipzig 1790. 8. 2 Thl. — *Donald Monro's* chemisch-pharmaceutische Arzneimittellehre, übers. u. m. Anm. begl. 2 Thl. Leipzig 1791. — *De la Metherie* über die reine Luft und verwandte Luftarten und Stoffe, übers.

bendo (7) sibi et suis per annos aliquot victum necessarium quaesiit. Attamen amore medicinae stimulatus semper ad ejus-

Leipzig 1791. 2 Bd. — *Edward Rigby's* chemische Bemerkungen über den Zucker; a. d. Engl. übers. m. Anm. 2 Bd. Dresden 1791. — Mehrere Abhandlungen in der Sammlung der auserlesenen und neuesten Abhandlungen für Wundärzte. Leipzig 1783, 1784, 1787. — Neues Edinburger Dispensatorium. 2 Thl. 1797—1798. — *W. Taplin's* Rossarzneikunde. 2 Thl. Leipzig 1797—1798. — *Ed. Home's* Heilart der Harnröhrverengerungen. Leipzig 1800. — Arzneischatz oder Sammlung gewählter Recepte; a. d. Engl. Leipzig 1800. — *Albr. v. Haller's* Arzneimittellehre. Leipzig 1806.

(7) Medicinische Beobachtungen. 2 Hefte. Quedlinburg 1781. — Anleitung, alte Schäden und faule Geschwüre gründlich zu heilen. Leipzig 1784. — Ueber die Arsenikvergiftung, ihre Hülfe und gerichtliche Ausmittelung. Leipzig 1786. 8. — Ueber die Schwierigkeit der Minerallaugensalz-Bereitung durch Potasche und Kochsalz (in Crell's chem. Annalen; 1787, St. 2, S. 387—396.) — Abhandlungen über die Vorurtheile gegen die Steinkohlenfeuerung u. s. w., mit 2 Kupfern. Dresden 1787. — Die Kennzeichen der Güte und der Verfälschung der Arzneimittel. Dresden 1787. 8. — Ueber den Einfluss einiger Luftarten auf die Gährung des Weines (in Crell's chem. Annalen. 1788. Bd. 1, St. 2, S. 141.) — Ueber die Weinprobe auf Blei und Eisen (in Crell's Ann. 1788. Bd. 1, St. 4, S. 291—303.) — Ueber die Galle und Gallensteine (in Crell's chem. Ann. 1788. Bd. 2, St. 10, S. 296.) — Ueber ein ungemein kräftiges, die Fäulniss hemmendes Mittel (l. c. St. 12, S. 485.) — Missglückte Versuche bei einigen angegebenen neuen Entdeckungen (l. c. 1789, Bd. 1, St. 3, S. 202.) — Brief an Crell über den Schwerspat (l. c. St. 8, S. 145.) — Entdeckung eines neuen Bestandtheiles im Reissblei (l. c. 1789, Bd. 2,

dem studium recurrit, ut causas inveniret, quibus impediti etiam meliores medici semper a via vera aberrassent. Hoc

---

St. 10, S. 291.) — Etwas über das principium adstringens der Pflanzen (in Crell's Beiträgen zu den chemischen Annalen IV. S. 419, 1789.) — Genauere Bereitungsart des auflöslichen Quecksilbers (in den neuen lit. Nachrichten für Aerzte. 1788 und 1789, 4tes Quartal. Halle.) — Unterricht für Wundärzte über die venerischen Krankheiten. Leipzig 1789. 8. — Vollständige Bereitungsart des auflöslichen Quecksilbers (in Crell's chem. Annalen. 1790. Bd. 2, St. 7, S. 22.) — Unauflöslichkeit einiger Metalle und ihrer Kalke im ätzenden Salmiakgeiste (l. c. 1791, Bd. 2, St. 8, S. 117—123.) — Brief an Crell über verschiedene chem. Gegenstände (l. c. 1790, S. 256.) — Mittel, dem Speichelfluss und den verwüstenden Wirkungen des Quecksilbers zu entgehen (in Blumenbach's med. Bibliothek, 1791, Bd. 3, St. 3.) — Beiträge zur Weinprüfungslehre (in Scherf's Beiträgen z. Arch. d. med. Pol. und Volksarzneik. B. 3. 2. Leipzig 1792.) — Ueber die Glaubersalzbereitung nach Ballenscher Art (in Crell's Annal. 1792, St. 1, S. 22.) — Freund der Gesundheit. Hft. 1, 1792. Hft. 2, 1795. — Apothekerlexicon, 2 Thl. Leipzig 1793 und 1799. — Etwas über die Würtenbergische und Hahnemannische Weinprobe (im Intellbl. d. allg. Lit. Zeitung 1793, Nr. 79, S. 630.) — Bereitung des Casseler Gelbs. Erfurt 1793; (etiam in actis academ. sc. Erford. ad ann. 1794. 4.) — Ueber die Hahnemannsche Weinprobe und den neuen liquor probatorius fortior (in Tromsdorf's Journ. d. Pharm. Bd. 2, St. 1. 1794.) — Recensionen in der allg. Lit. Zeitung et in comment. Lipsiens. de reb. in scient. natur. et med. gestis. — Handbuch für Mütter, Leipzig 1796. — Plures dissertationes im Allg. Anzeiger der Deutschen und in Hufeland's Journal der pract. Heilkunde, et alii libri, quos postea laudabimus.

modo ei innotuit, omnes fere medicos communi errore captos, artem suam nequaquam *observatione* et *experientia*, sed *vanis opinionibus* et *conjecturis* ductos excoluisse, et sic, *legibus naturae minime inventis* et *perspectis*, omnem operam eo perdidisse, quod *causam intimam*, sensibus nostris semper occultam, intelligere sibi viderentur, nec tamen intellectam haberent.

Jam sententia stabat, alia via quaerendum esse, quid rei medicae prodesset; soli *verae experientiae* confidendum esse videbat et prae ceteris *vires medicaminum veras* pernoscendas. Sic brevi novam methodum indagationis necessariam esse atque effectus medicamentorum ante omnia in corpore *sano* observandos esse plane intellexit.

Anno 1790 *Gu. Cullenii* materiam medicam (8) in vernaculam linguam transferenti variae miraeque de vi *Cinchonae* febrifuga explicationes stomachum moverunt causamque dederunt, ut propius rem aggrederetur et ipse vim corticis in corpore sano exploraret; quo factum est, ut plane novam eamque gravissimam rem comperiret. Animadvertit enim, *cortice Cinchonae*

(8) Vide: W. Cullen's Materia medica, übersetzt von *Samuel Hahnemann*; Leipzig, bei Schwickert. 1790. 8. Theil 2. Seite 109, Anmerkung.

in sano corpore febrem quandam intermittentem, eamque *simillimam* illi, cui in aegroto remedium esse soleret, effici, praeterea autem multa alia symptomata gigni, de quibus medici nil adhuc suspicati essent. Ita olim simili fere modo *Galilaei*, quum in ecclesia cathedrali Pisae lucernam ex alto dependentem vidisset, motationibus ejus ad legem motionis in universum inveniendam, atque *Newton* pomo ex arbore cadente ad leges gravitatis eruendas adductus est. Ex illo experimento Hahnemannus, vir illustris, *veram sanationis legem, homoeopathicam,* invenit.

Sed in hac re non acquievit: Quid igitur, ita conclusit, quid, si cortex hanc ob causam febri intermittenti in aegroto medeatur, quia *similem* illius *sano* in homine profert? quid, si hanc ipsam ob causam illa, qua hactenus gavisi sumus, virium medicarum cognitio nil, nisi exilis, manca atque inanis fuerit? — Quod experiri suum esse putavit; nec prius destitit, quam rem esset assecutus. Ad quam eruendam eadem via, quam modo ingressus erat, longius progredi constituit, et alia medicamina in semet ipso aliisque hominibus sanis quam vim exsererent, observare perrexit. In quibus studiis quo diutius perseverabat, eo magis miratus est ignoratarum, quae medica-

mentis insunt, virium multitudinem magnumque eorum, quae ipse inveniret, ab iis, quae adhuc pharmacologi docuissent, discrimen. Etenim luce clarius vidit, qua hactenus medici gloriati essent, virium medicarum cognitionem *non scientiam veram*, sed *opiniones vanas* nominari oportere, et materiam medicam, si quis eam cum experimentis rite institutis comparasset, conjecturis inanibus et sola antiquitatis auctoritate niti, opusque esse quasi misere consarcinatum. Neque minus identidem animadvertit, illis medicaminibus, quorum vis in quosdam morbos *specifica* innotuisset, in corpore sano symptomata illis simillima excitari; quo altius ejus animo illa persuasio infixa est, quae hac ratione observaret, in iis *veram legem* contineri *naturae*, et quod idem esset, certiorem, tutiorem, simpliciorem medendi rationem.

Tali modo *vera medendi lex*, quae *aeterno naturae ordine* sancitur, inventa est; quae etsi a principio exstitit, ut adeo et olim secundum eam quasi furtim omnis vera sanatio facta sit, (9) et diu ante Hahnemannum etiam alii eam animo praesagierint: (10)

---

(9) Cf. Organon der Heilkunst, edit. 4. S. 51 et seq.

(10) Cf. Organon der Heilkunst, edit. 4. S. 102 et seq.

nemo tamen sua opera exploratam ex tenebris, quibus offundebatur, in lucem protraxit.

Sed ne quis in re tanti momenti temeritatis eum accuset: in aegrotis curandis, quibus operam satis diu intermissam denuo navare coeperat, maxima circumspectione versatus est. Etenim quam posset religiosissime exploraturus, res ipsa, quae vero similia viderentur, probaretne an refelleret, quum abhorrens ab inveterata consuetudine via fere contraria experimenta instituerct, quo recentior erat ab inventione, eo cautior et quasi haesitans morbis ea tantum medicamina opponere ausus est, quae affectiones illis *simillimas* in corpore *sano* sponte sua excitare possent. Nec eum eventus fefellit; namque ita pervenit ad *perfectiorem*, *faciliorem* et *tutiorem* sanationem, quam quae unquam aliis medicis contigit, nisi quod rarissime suis, quae dicunt, specificis utentes simili successu sunt gavisi. At illa quidem experimenta, centies repetita et diligentius observata, idem semper perficientia, argumento ei fuerunt, *veram naturae legem* a se detectam esse, secundum quam *unumquodque medicamentum cito, leniter, tuto et jucunde* — i. e. *specifice* — *sanat, siquidem symptomata* ejus *peculiaria, in corpore sano* diligenter observata, *morbi,* cui mederi volueris, *symptomatibus*

*maxime respondent.* Atque ita facile intellexit, omne medicamentum, cui jam antea ex observato in certo quodam morbo effectu *vis specifica*, quam dicunt, tributa esset, sola *symptomatum similitudine* salubritatis illam notam ac famam consequi potuisse. His igitur rebus diligentissime indagatis, quod legem naturae et artem *homoeopathice* medendi a se perspectam in publicum tandem ediderit, quis eum temeritatis accusare audeat? —

Commodi sui minus, quam generis humani salutis memor, simulac novam veri investigandi viam ingressus est, sinceram eorum, quae invenerat, rationem ordini medicorum reddidit, (11) et quo propius ad rei finem metamque accessit, eo alacrius observationes suas aliis exponere perrexit. Paulo post sanationes aliquot, methodo homoeopathica perfectas, enarravit, (12)

---

(11) Vide: Versuch über ein neues Princip zur Auffindung der Heilkräfte der Arzneisubstanzen, nebst einigen Blicken auf die bisherigen, von *Dr. S. Hahnemann*; (Hufeland's Journal Bd. 2, St. 3, S. 391, und St. 4, S. 465 etc.) Sind die Hindernisse der Gewissheit und Einfachheit der practischen Arzneikunde unübersteiglich? von *Dr. S. Hahnemann*; (Hufeland's Journal Bd. 4, St. 4, S. 106.)

(12) Vide: Eine plötzlich geheilte Kolikodynie, von *Dr. S. Hahnemann*; (Hufeland's Journal Bd. 3, St. 1, S. 138.) Gegenmittel einiger he-

ingenti adversariorum, qui jam tum oriebatur, clamore (13) neutiquam perturbatus, et ulterius progressus, quidquid potissimum vulgaris medicina vitiosi et absurdi habet, ingenii sui viribus profligare aggressus est. (14)

*Scarlatina* illo tempore late vagante magnumque puerorum numerum, quia remedium salubre deerat, consumente, scrutatus est medicamentum, quod ex *lege homoeopathica* gravi huic morbo responderet et sufficeret; nec frustra quaesivit. Etenim, quae pridem alii scriptores de nocivis *belladonnae* viribus commentati erant, et postea propria ipsius experimenta in sanis hominibus confirmabant, haec eum edocuerunt, nullum nisi hoc medicamentum, quod *scarlatinae simillimum morbum* in sano corpore efficere valet, sanandae illi aptum haberi posse. Quam

---

roischen Gewächssubstanzen, von *Dr. S. Hahnemann*; (Hufeland's Journal Bd. 5, S. 5.) Einige Arten anhaltender und nachlassender Fieber, von *Dr. S. Hahnemann*; (l. c. pag. 19.) Einige periodische Krankheiten und Septimanen, von *Dr. S. Hahnemann*; (l. c. pag. 45.)

(13) Vide inter alia: Journal der Erfindungen, Theorien und Widersprüche in der Natur- und Arzneiwissenschaft; Bd. 6, St. 22, S. 48.

(14) Vide: Monita über die drei gangbaren Kurarten, vom Herausgeber des Arzneischatzes *(Hahnemann)*, in Hufeland's Journal Bd. 11, St. 4, S. 5.

ob rem *belladonna* in *scarlatina* uti non amplius dubitavit, nec eventus expectationem fefellit. Atque hanc ipsam *belladonnam tutissimum* etiam *praesidium* adversus *scarlatinam* esse observavit; quam quidem rem illo jam tempore in publicum proposuit. (15) Nunc perpauci adhuc de re in multis epidemiis probata dubitant, etsi legem naturae, qua inventa et detecta est, nihilominus ignorare et deridere student. Mox Hahnemanno innotuit, legem hanc esse *communem*, ubique valentem, medicamento, quod morbum quendam *specifice* sanet, eundem non minus tuto *prohiberi*. Ex qua quidem lege illa *Jenneri* observatio de *Vaccina*, de qua mirum quam diversae opiniones et explicationes prolatae sunt, recte intelligi ejusque natura vere perspici potuit.

Quo saepius Hahnemannus medicamentis ex *homoeopathica* ratione uteretur, eo melius intellexit, *doses* medicaminum usitatas justo *longe majores* esse, et tali modo etiam aptissima medicamenta saepius nocere, aliaque molesta et gravia symptomata effici; quod ut vitaret, medicamina *diluere* coepit, et tantum eo

---

(15) Vide: *Hahnemann*, Heilung und Verhütung des Scharlachfiebers. Gotha 1801.

profecit, ut mox exploratum haberet, recte *diluendo*, ut vehementia et acrimonia diminuatur, *vim congruam* etiam *augeri* et ad sanandum aptiorem reddi. Sic *novam naturae legem detexit*, quae postquam divulgata (16) est, quum diu multumque in dubium vocata esset et a non paucis illusa, fieri tamen non potuit, quin sobrie examinantium judicio vera agnosceretur. Dictum in hac re valet *Plinii:* »Quid non miraculo est, cum primum »in notitiam venit? Quam multa fieri non posse, priusquam »sint facta, judicantur? Naturae vero rerum vis atque ma»jestas in omnibus momentis fide caret, si quis modo partes »ejus, ac non totam amplectatur animo.« —

Quum vir et animo et ingenio praecellens disciplinae suae primordia, uti diximus, edidisset, gratiae, quam pauci referre solent, incuriosus, aliquot per annos tacitam, sed indefessam operam rei gravissimae tribuit, et inprimis virium medicarum genuinarum scientiam magis magisque locupletare studuit. Quorum studiorum fructum primum in libello peculiari: »*Fragmenta de viribus medicamentorum positivis, sive*

---

(16) Ueber die Kraft kleiner Gaben der Arzneien überhaupt, und der Belladonna insbesondere, von *Dr. S. Hahnemann*; (Hufeland's Journal Bd. 13, St. 2, S. 152.)

»*in sano corpore observatis*« inscripto (17) in vulgus prodire voluit.

Jam continuis *observationibus* legis medendi homoeopathicae veritate ita stabilita, ut revinci non posset, quae experiendo cognoverat, etiam *theoretice* explanare et *systema* peculiare construere coepit, (18) quod quatuor post annis perfectum publicavit

(17) Lipsiae 1805. Tom. II.

(18) Vide: Heilkunde der Erfahrung, Berlin 1806; etiam in Hufeland's Journal Bd. 22, St. 3, S. 5. In hoc libello primum, neque naturae, quam dicunt, medicatricis conamen, neque vanarum opinionum molimina ad morbos vere sanandos sufficere, ostendit; deinde systematis futuri, experimentis atque observatione stabiliti, fundamenta explicat; nec minus in dissertatione: Aesculap auf der Wagschaale; 1805. — Der Kaffee in seinen Wirkungen. Nach eigenen Beobachtungen von *Dr. S. Hahnemann*. 1803. In linguam Francogallicam versus libellus hic inscriptus est: Traité sur les effets du café, traduit de l'original allemand du *Dr. S. Hahnemann* p. *E. G. de Brunnow*. 1824. In linguam Danicam vertit *Lund*; vide: Kaffeen i sine Virkninger. Efter egne Jagttagelser af Dr. S. Hahnemann, Hofraad; oversat af *H. L. Lund*, Läger og Naturkyndig. Kiobenhavn. 1827. — Fingerzeige auf den homöopathischen Gebrauch der Arzneimittel in der bisherigen Praxis, (Hufeland's Journal Bd. 26, St. 2, S. 5—43.) dissertatio, quae postea aucta et organi textui praemissa est; in ea quidem observationum medicarum series exponitur, quae jam pridem, quamvis temere et insciis medicis, homoeopathica ratione curatum esse manifestant. Plura et quidem praecipua *Hahnemanni* scripta minora invenies collecta in libro, qui inscriptus est: Kleine medicinische

in *Organo medicinae rationalis*, (19) cujus usque ad hunc diem jam quatuor editiones factae sunt. Immortale hoc opus tanta orationis vi et gravitate, tantaque argumentorum et rationum firmitate eminet, ut neminem, cui judicium incorruptum est ac liberum, vera esse, quae tradantur, latere possit; neque latuisse constat exceptis illis, quorum vel opinioni vel ambitioni rei novitas quam molesta fuerit atque invisa dici vix potest. Nam ne ipsi confiteri cogerentur, se ad unum omnes errasse, Organon ne legere quidem, nedum in ejus argumentum animo aequo ac libero inquirere voluerunt, et ut semet ipsos coram re publica

---

Schriften, von *Dr. S. Hahnemann* gesammelt und herausgegeben von *Dr. E. Stapf*. Dresden 1829, bei Arnold.

(19) Organon der rationellen Heilkunde, von *Dr. S. Hahnemann*. Dresden 1810. — Organon der Heilkunst, 2te vermehrte Aufl. Dresden 1819. Dritte Aufl. 1824. Vierte verbesserte und vermehrte Aufl. 1829. Quartae editioni dissertatio de vulgaris medicinae indole addita est. Hic liber a *Dr. Francesco Romano* in linguam Italicam et ab *E. G. a Brunnow* in Francogallicam translatus est; hujusque interpretatio inscripta est: Organon de l'art de guérir. Traduit de l'original allemand du *Dr. S. Hahnemann*, par *E. G. de Brunnow*. Dresde 1822. Praefationem, separatim etiam editam praemisit sub titulo: Exposé de la réforme de l'art médical, entreprise en Allemagne par le Docteur et Conseilleur *S. Hahnemann*; servant d'introduction à un ouvrage de ce médecin, dont on vient de publier la traduction etc. à Dresde 1824.

literaria et aegrotis excusarent, temere et arroganter judicare atque Hahnemannum ipsum malitiose calumniari libuit. Quanta insania, qui furor, aeternam veritatem velare et exile lucrum magnis humani generis progressibus anteponere! —

Hinc orta est longa et acris controversia, qua omnes vulgari medicinae addicti, quamvis alias inter se dissidentes, conjuncti adversus Hahnemannum unum steterunt. (20) Quis futurus sit exitus certamini impari, quaeris? *stat homoeopathia*, semperque stabit et crescet! — Tandem causa bona triumphat de injustis machinationibus. Quarum complures non immerito accusantur, qui non satis habuerunt doctrinam novam contemnere, sed in

(20) Quae primum contra medici scripserunt, fere haec sunt: Neues Journal der Erfindungen, Theorien und Widersprüche in der gesammt. Medicin; Bd. 2, St. 3. — *A. F. Hecker's* Annalen der ges. Medicin; Bd. 2, S. 71—75 und 191—256. — *Kranzfelder*: Symbola ad criticen novae theoriae homoeopathicae dictae; particula prima. Erlangae 1812. — Ueber die Homöopathie; von einem academischen Lehrer (Puchelt). Berlin 1820. Etiam in Hufeland's Journal Bd. 49, St. 6, S. 3. — *Dr. J. R. Bischoff*: Ansichten über das bisherige Heilverfahren und über die ersten Grundsätze der homöopathischen Heillehre. Prag 1819. — Critische Hefte für Aerzte und Wundärzte, von *Dr. J. Ch. G. Jörg* u. s. w. Leipzig 1822. — Ueber die Homöopathie, von *Dr. E. F. Groh*; (Isis 1822, Januarheft.) Caeterum multa alia contra novam medicinam in diariis compluribus scripta sunt.

auctorem ipsum vehementissime invecti, omnem ejus vitam, consuetudinem victumque inique et hostiliter adorti, ejusque famae nocere conati sunt. Quibus calumniis virum excellentem num fusius dicentes liberare conemur? Longe absit! — Sufficit paucis commemorare, *eum recte sibi conscium*, jam ante detectam homoeopathiam *praxi* medica, unde lautius aliis nascitur lucrum, *diu abstinuisse*, et *honestam pauperiem* sponte susceptam libentius *tulisse*, quam admisisse, ut ab aegrotis pro cura, de cujus ratione nondum constaret, mercedem auferret; eundemque detectam a se novam et saluberrimam medendi methodum *non occultam habuisse*, ut alii quaestus causa etiam in rebus longe minoribus fecerunt, arcana sua non nisi remuneratione accepta communicantes, sed *medicis statim tradidisse*, atque etiam, inventis suis impie acceptis et a plerisque derisis, *non destitisse ab emendanda doctrina et augenda arte salutari.* Ex quo generosa viri indoles cognoscitur, quae praestat, illius famam nullis criminationibus, nullis irrisionibus laedi atque inquinari posse.

Atque insigni profecto praeditum esse eum animi magnitudine necesse est, qualis in paucis deprehenditur, qui tot injurias, quibus assidue lacesseretur, tanta animi aequitate tacitusque tulerit. Neque enim ille unquam ad convicia ista re-

spondit, (21) sed indefessam operam in magnum opus impendere perrexit, studiorum gravitati etiam jucunditate ex aliorum consuetudine capienda, ceterisque, quae fere in deliciis esse solent, posthabitis. At quotusquisque est, qui adversariorum importunitati se non irasci, non inimicum esse hominibus, quos cura et amore indignos cognoverit, vere glorietur? His igitur consideratis, ex quibus apparet, quanta constantia Hahnemannus omnes molestias ab adversariis illatas, ne impedimento essent operi consummando, retuderit, transeamus ad contemplandam illius perseverantiam atque industriam, qua difficultates eas, quibus res suo ipsa molimine gravis implicabatur, tandem superavit. Nemo nisi qui ipse in corpore suo vires medicamentorum genuinas, ratione, quam organon docet, explorare tentaverit, judicare potest, quid sit unius alteriusve medicaminis effectus penitus eruere; nihilominus Hahnemannus per plures annos *solus* et, si ab ejus familia discesseris, omni fere hominum coetu carens, pharmacorum virtutes scrutatus plurimas medicamentorum vires in

(21) Ejus filius refutationem iniquorum judiciorum conscripsit; vide: *F. Hahnemann's* Widerlegung der Anfälle *Hecker's* auf das Organon der rat. Heilkunde, und erläuternder Commentar zur homöopathischen Heillehre. 1811.

lucem protraxit, ad quas detegendas sexcentorum hominum mediocrium conjuncta studia vix ac ne vix quidem suffecissent. Haec quidem observata si sequeris, ex iis in aegrotis sanandis plus habebis utilitatis, quam ex omnibus libris, qui de materia medica per viginti saecula conscripti sunt.

Postero demum tempore in medicaminum effectibus explorandis a discipulis quibusdam adjutus est, quos in scholis suis Lipsiae ipse conformaverat, quibus posthac et alii amici se adjunxerant. (22) Illi quasi sub oculis magistri vires medicaminum eruerunt, ab ipso amicissime et benignissime sublevati; nam quotidie fere vesperi consuetudine ejus usi sunt, et tali modo observandi facultatem, prae ceteris medico necessariam, sibi comparare et augere potuerunt. Nunquam profecto isti, dum vivunt, de praeclaris illis diebus grato animo recordari desinent, quibus praeceptorem dilectissimum amici et patris instar cum ipsis colloquentem, literarum et medicinae scientia nec

---

(22) Postea in diario homoeopathico, a *Dr. E. Stapf* edito, observationes de positivis variorum medicaminum viribus conscriptae sunt. Nominatim *Dr. a Gersdorf*, consiliarius, industrius artis homoeopathicae fautor, hanc medicaminum notitiam auxit. Nuperrime etiam *Dr. Hartlaub* et *Dr. Trinks* in libro peculiari scientiam virium medicarum genuinarum juvare studuerunt.

minus humanitate insignem, admirandi et venerandi opportunitas data erat. Conjunctis his studiis in lucem prodiit *materia medica pura*, auctore HAHNEMANNO, (23) quod opus ad exercendam novam medicinam utilissimum est.

Illi primi amici et cultores rei saluberrimae, neque eo minus tamen a ceteris pertinaciter rejectae, non satis habebant doctrinae novae rationem reddere et veritatem demonstrare, sed ejus

(23) Reine Arzneimittellehre, von *Dr. S. Hahnemann*; Th. 1. Dresden 1811; zweite vermehrte Aufl. 1822. — Thl. 2. 1816; zweite vermehrte Auflage 1824. — Thl. 3. 1817; zweite vermehrte Auflage 1825. — Thl. 4. 1818; zweite vermehrte Auflage 1825. — Thl. 5. 1819; zweite vermehrte Auflage 1826. — Thl. 6. 1821; zweite vermehrte Auflage 1827. Quod opus in latinum verti coeptum et inscriptum est: *Dr. S. Hahnemanni* materia medica pura, sive doctrina de medicamentorum effectibus in corpore humano sano observatis, e Germanico in latinum conversa, conjunctis studiis *Dr. E. Stapf*, *Dr. G. Gross* et *E. G. a Brunnow*. Tom. I. Dresdae 1826. Tom. II. 1828. In Francogallicam linguam maxima certe ex parte transtulit illud *Dr. Bigel* in libro suo Tom. I. pag. 263—392 et Tom. III. Versio Italica inscripta est: Pura dottrina delle medicine del *Dr. S. Hahnemann* etc. Primo volgarizzamento italiano dall' originale tedesco impresso in Dresda nel 1811 presso Arnold, per cura del *Dr. Fr. Romani*, Sozio Onorario dell' Academia Medico-Chirurgica, e' del reale istituto d' incoraggiamento di Napoli; della Società Economica della Provincia di Abruzzo Citra; dell' Academia de' Velati di Aquila; dell' Arcadia di Roma etc. Volume I. 1825. Volume II. Parte Prima. 1826.

usum in aegrotis experiri studebant, quo comperto ceteros ad examinanda organi praecepta invitarunt, simul quidquid contra dictum esset, redarguentes. Paulo post et alii medici experientissimi, vulgari medicina olim instituti, ad *homoeopathiam* se applicantes hanc et verbis et re juvare annisi sunt. Eundem in finem medicinae homoeopathicae addictorum societas anno 1822 *diarium* peculiare (24) edere coepit (cujus nunc fasciculi 25 in publicum emissi sunt) eo consilio, ut dispersos artis adhuc tenerae amicos inter se conjungeret, prava de ea judicia corrigeret, (25) novasque observationes divulgaret. Quo

---

(24) Quod inscriptum est: Archiv für die homöopathische Heilkunst, in Verbindung mit mehrern Gelehrten herausgegeben von *Dr. E. Stapf*; Bd. 1. Leipzig 1822, bis Bd. 8. St. 1. 1829. Dissertationes et observationes ibi proposuerunt: D. D. *Aegidi*, *Bernhardi*, *Baudis*, *Bigel*, *Bethmann*, *a Brunnow*, *Caspari*, *Diehl*, *Fitzler*, *Franz*, *Gross*, *Hartlaub*, *Hartmann*, *Hauptmann*, *Hering*, *Kammerer*, *Kretzschmar*, *Löscher*, *Mainotti*, *Mauro*, *Messerschmidt*, *Mostbauer*, *Mühlenbein*, *M. Müller*, *v. Pleyel*, *Rückert*, *Rummel*, *Schnieber*, *Schüler*, *Stapf*, *Schweickert*, *v. Sonnenberg*, *Steegemann*, *Trinks*, *Wislicenus*, *Zinkhan*.

(25) Hunc ad finem supplementum illius diarii conscriptum est, quo *Heinrothii* Antiorganon refutatur; quod separatim etiam venditur sub titulo: Beurtheilung des Antiorganon des Dr. J. Ch. A. Heinroth, von *Dr. G. W. Gross*. 1826.

incepto ita procedente, ut prorsus ad spem responderet, ipse Hahnemannus, quae de genuinis aliquot medicamentorum viribus denuo animadvertisset, illis voluminibus tradere non dubitavit, atque inde ab eo tempore amicorum et cultorum numerum mira fere progressione augeri sentimus. Quam ad rem etiam alii medicorum homoeopathicorum libelli (26) profuerunt

(26) Vide: Vertheidigung der von Herrn Dr. Hahnemann aufgefundenen homöopathischen Heilart durch verbürgte und auffallende Thatsachen, von einem Nichtarzte. (Prof. L. in Leipzig, 1820.) — Ueber Homöopathie, von *Dr. Widnmann.* (Hufeland's Journal 1823, St. 11. et l. c. 1828, St. 2.) — Ueber den Werth des homöopathischen Heilverfahrens, von *Dr. G. L. Rau,* Grossherzoglich Hessischem Hofrathe und Physicus zu Lauterbach; 1824. — Meine Erfahrungen in der Homöopathie. Vorurtheilsfreie Würdigung des Hahnemannischen Systems, als Versuch, dasselbe mit den bestehenden Heilmethoden zu vereinigen, von *Dr. C. Caspari*; 1823. — Krankheitsheilungen nach den Grundsätzen der Homöopathie, von *Dr. Messerschmidt,* Stadt- und Domphysicus zu Naumburg an der Saale. (Hufeland's Journal 1826, St. 1, S. 29—60, und St. 2, S. 59—102.) — Bemerkungen über das Hahnemannische System und einige damit angestellte Versuche, von *Dr. Fr. Rummel.* (Hufeland's Journal 1826, St. 5, S. 43—74.) — Geschichte meiner Bekanntschaft mit der Homöopathie, nebst einigen Erfahrungen, vom Medicinalpräsidenten *v. Wolff* in Warschau. (Hufeland's Journal 1827, Aprilheft, S. 1—56.) Die Homöopathie von ihrer Licht- und Schattenseite. Eine Würdigung dieser neuen Heilmethode auf ihrem gegenwärtigen Standpunkte durch Versuche und durch eine Vergleichung mit dem gewöhnlichen Heilverfahren prakti-

qui ut meliorem methodi notionem divulgarunt, ita artem ipsam magis excoluerunt atque auxerunt. (27)

---

